



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXIII. Spiritum nonnisi spirat. Religiosissima corpore & anima, vixit  
Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XXIII.

*Maria Virgo tota quanta est Vas spirituale.*

**P**er revelationem habuisse testantur S. Bonaventura, in Exordium. Spec. Virg. cap. 7. & S. Bernardinus Senensis. quod Virgo Sanctissima divinæ contemplationi adeo fuerit dedita, ut non tantum noctes integras in oratione, & celestium meditatione insumpserit, sed etiam dormiendo, & sensibus ejus somno obrutis, pie contemplando anima ejus sanctissima indefinenter vigilaverit, canens cum sponsâ: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. cap. Sic etiam P. Canisius lib. 5. de beatâ Virgine, omnino judicat Dei Matris vitam continuam fuisse extasim, atque contemplationem, vitam planè spiritualem, etenim si donum hoc dulcissimæ, ac continuæ contemplationis, in creatione Angelis concessum fuit, quanto magis Virginem sanctissimam, quæ Dei Mater esse debebat, quæ in Reginam Angelorum prædestinata, in sponsam Spiritus S. electa fuerat, divini amoris incendio inflammaverit Deus, ut contemplatione divinâ spiritualem agens vitam, Vas Divinitatis, Vas spirituale efficeretur. Sanctos desuper Patres percipiamus. *Dormire, non prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tamen, cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut somno interrupta continuat, aut dissipata gerit, aut gerenda pronuntiat.* de Virgine testatur S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus. *Beata Virgo ad tantam contemplationem sublimata est, ut perfectius, etiam in ventre Matris, contempleretur Deum, quam unquam fuit contemplatus aliquis alius vigilando, sicut ipsa Cant. 5. testatur, dicens: Ego dormio, & cor meum vigilat.* scribit S. Bernardinus Senensis. Tom. 4. ferm. de Exaltatione B. V. art. 2. cap. 3. *Suavissimis cogitationibus exercebatur, detinebatur tantum in seculo corpore, affectu autem,*

SS. Patres,

S. Ambrosius,

S. Bernardinus Senensis,

]

&



- S. Lauren-  
sius Justin.  
S. Ildephonf  
S Bernard<sup>o</sup>  
S Thomas  
â Villâ Novâ
- Et mente commorabatur in caelo.* perorat S. Laurentius Justinus. ferm. in Assumpt. B. V. Et iterum Tom. 3. ferm. 36. tertia Parte. *In contemplando Deum, & cuncta creata, placuit Paulus Apostolus raptus, sine comparatione: quia si essent in Pauli, quot sunt creatura, non attingerent suum contemplari, nam Paulus fuit Vas electionis, Maria fuit Vas Divinitatis, quia nulla creatura, tantum amat, nec tantum timet Deum, quantum Virgo gloriosa. Tota in Deo exultat, totusq; Spiritus ejus, in Deo gaudet, & tota ejus anima Dominum magnificat, & collaudat, disertè loquitur.* S. Ildephonsus. ferm. 2. de Assumpt. B. V. *Hec Virgo, suis eum precibus, traxit à caelo, hac suis meritis, & virtutibus, ut inquit S. Bernardus, caelum invasit, & in sui amorem, Prophetæ caelestis animum inclinavit, quem in sui uteri domum, novem mensibus hospitavit.* profundè perpendit S. Thomas â Villâ Novâ. Conc. de Partu Virginis. Tu ô Vas spirituale, gratiam Spiritus S. mentibus nostris infunde, ut vitam tuam spirituales, piis ac devotis Conceptibus meditari valeamus.

## CONCEPTUS I.

Confirma-  
tio feu De-  
audtio.

Secundùm principia Doctoris Angelici, S. Thomæ Aquinatis. 3. Part. Quæst. 27. Art. 5. in Corp. *Quanto aliqua magis appropinquat principio, in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius Principis, & qualitatem;* sic docet Doctor Angelicus Areopagita. cap. 4. de caelesti Hierarchiâ. quod Angelus proximius Deo assistunt, ut sunt Cherubim & Seraphim, magis participant de bonitatibus divinis, quam unquam participabit homo, in zelo ferventiores, ardentiores in amore sunt. Ex hoc principio, sequens non ineptè formari potest Dilectus: Christus origo est omnis perfectionis, virtutum caelestium, ac spiritualium meritorum exemplar, charitate ardens, ut notat Apostolus Paulus, 1. ad Hebr. cap. 12. *Deus noster ignis consumens est.* Christus pro honore Patris sui caelestis zelosè efferuefcit. *Zelator est nomen ejus.* Christus in oratione vigilantissimus. *Pernoctabat in oratione Dei.* Luc. 6. cap. 6.



frus in jejunio, & abstinentiâ strictissimus. Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Matth. 4. cap. Christus Magister humilitatis, & mansuetudinis. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. cap. Christus in maximis pœnis, ac tormentis fuit patientissimus. *Non aperuit os suum.* Isaïæ 53. cap. Christus voluntariè pauperrimus. *Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum.* Lucæ. 9. cap. tantæ perfectionis, tot virtutum cœlestium, tot meritorum spiritualium origini, & exemplari Christo Jesu, nemo mortalium magis appropinquat, quàm Maria Virgo Mater Christi; Quis enim Matre proximior est Filio? ergo inter omnes homines Maria Virgo Deipara perfectissima est, virtuosissima, ac spiritualissima, Maria, inquam, in Deum & proximum charitate ardentissima, honoris divini zelo ferventissima, in oratione vigilantissima, in abstinentiâ, & jejunio strictissima, voluntariâ paupertate exemplarissima, humilitate Deum placavit, patientiâ cœlos lætificavit, castitate Angelos ædificavit. Melissus S. Ambrosius. lib. 2. de Virginibus. *Sit vobis, tamquam in imagine descripta Virginitas, vitæ, beata Maria, de quâ, velut in speculo, resulget species castitatis, & forma virtutis, hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere. quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt: talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita, omnium sit disciplina.* Imitanda sine numero offerens merita spiritualia, Vas spirituale,

### CONCEPTUS II.

Ad propositum meum, est profundissima speculatio Seraphici Bonaventuræ in Speculo B. V. Lect. super verba Archangeli Gabrielis in salutatione Virginis benedictæ prolata: *Gratiâ plena.* De hâc gratiâ, ejusque plenitudine, Vas spirituale immensum, Virgo Maria ex ipso contextu, tam clarè percipitur, ut additione ulteriori verborum non egeat. *Immensa certè fuit gratia, quâ beata Virgo fuit plena, immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum:*



plenum: Maria autem Vas immensissimum fuit, ex quo ille, qui caelo major est, continere potuit. Quis est caelo major? certe ille, de quo Salomon ait: si caelum, & caeli caelorum, te capere non possunt, quanto magis domus hac, quam aedificavi? Non utique domus per Salomonem aedificata, sed domus per illam significata, Deum capere potuit. Tu ergo immensissima Maria, capax es caelo, quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capax es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua seclusa viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? & si capacitas tam immensa, fuit gratia plena, oportuit utique, quod gratia illa, qua tantam implere potuit capacitatem, esset immensa. Virgo Maria igitur corpore, & spiritu gratia plena, Vas Divinitatis, Vas spirituale immensum est.

### CONCEPTUS III.

Non minus ingeniosè combinat verba Gabrielis Archangeli S. Bernardus. serm. 4. super Missus est. quam enim celestis Nuntius gratia plenam superius salutaverat, eidem mox se peraddit dicens: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtutis tuisissimi obumbrabit tibi. Lucæ. 1. cap. Numquid non Spiritus gratiarum dator est? an potuit repleri gratia, & necdum habere Spiritum sanctum? si autem jam Spiritus S. in eâ erat, quomodo adhuc tamquam noviter superventurus repromittitur? at quid superveniet in Mariam? ut gratiam conferat; sed quomodo gratiam dabit Spiritus S. ei, quæ jam est gratia plena? cum parva jam sit, quid amplius dabit ei superveniens Spiritus S. datur gratiarum? subtilissimè respondet idem Sanctus: salutatio angelicâ, plenus gratia erat venter Maria, repletus Unigenito Filio Dei Christo Jesu. in hanc Filiò Dei jam plenam gratiarum Matrem, supervenit Spiritus S. Et sicut Filius Dei replevit ventrem, sic Spiritus S. replevit mentem Maria; Itaque benedicta inter mulieres Virgo Maria, corpore & animâ, ventre ac mente, carne & spiritu, gratia plena est. Verbis pragnantibus



sentitur S. Laurentius Justinianus, lib. de casto Connubio, cap. 9. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratia, quidquid est gloria, totum fuit in Mariâ: magna cum nascitur, major cum concipit: ubiq; sancta, ubiq; plena, ubiq; immaculata, sancta quidem mente & corpore, plena gratiâ & virtute.* & S. Hieronymus, Epist. 10. de Assumpt. B. V. tom. 9. *Qualis & quanta esset beata Virgo, ab Angelo divinitus declaratur, cum dicitur: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: talibus namq; decebat Virginem oppignorare muneribus, ut esset gratiâ plena, qua dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitii, vitæ ordinem, moribus disciplinam.* Vas sanctitatis, Vas spirituale.

#### CONCEPTUS IV.

In bono, non solum per se ipsum perseverare usque in finem, sed etiam alios ad similem perseverantiam exemplariter incitare, Deum non solum personaliter laudare, sed obvios quosque ad laudem Dei animare, nonne spiritualis animi, signa sunt evidentiæ? Maria Virgo tam constanter perseveravit in bono, Deum suum tam iteratis vicibus laudavit, ut simul etiam proximum ad bonum ædificaverit, Dei laudes reddendas, efficaciter persuaserit. Sic de eâ referunt Acta Apostolorum 1. cap. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria Matre Jesu.* Vix ac Maria domum intravit Elisabeth, suumque devotissimum intonare cæpit Hymnum: *Magnificat anima mea Dominum.* Lucæ 1. cap. cum ea tota domus Elisabeth magnificare Deum, atque in ejus laudes erumpere non vacat, quin & Joannes exultare in utero Matris, & incarnato Verbo, reverentiam & honorem exhibere, non intermittit. *Ecce enim, ut facta est vox salutationis tua in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Ipsa mater Elisabeth, prophetico spiritu abscondita prædicere, Mariam Dei Matrem appellare, fructum ventris ejus incipit benedicere. *Et repleta est spiritu S. Elisabeth & exclamavit voce magnâ, & dixit:*



xit: benedicta tu inter mulieres. & benedictus fructus ventris tui.  
 & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me. Sed & pro-  
 pter Zacharias eodem spiritu plenus, benedixit Dominum dicens:  
 Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redem-  
 ptionem plebis sue Israël. Cum emphasi concludit S. Am-  
 brosius, de Instit. Virg. cap. 7. Tanta erat Maria Virginitatis gratia,  
 ut non solum in se gratiam virginitatis servaret, sed etiam illi,  
 quos inviseret, integritatis insigne conferret; visitavit Joannem  
 Baptistam, qui in utero, priusquam nasceretur, exultavit, ad ex-  
 cem Maria exultavit infantulus, obsequatus, antequam genuit.  
 Tot nimirum in domo Elisabeth de Vase spirituali Mariæ Vir-  
 gine, dona Spiritus S. liberalitate maternâ effusa sunt.

Epilogus.

De Vase hoc spirituali, & immenso Divinitatis Christi-  
 gratis & donis spiritualibus supereffundi sperantes, recur-  
 mus ad Virginem sanctissimam, Dei Matrem, eamque devotissi-  
 mè invocemus cum doctissimo Idiotâ. de B. V. Part. 14. Con-  
 templat. 97. O Vas misericordie, ad te recurrimus nos vasa im-  
 tumelia, plena lato fatidissimo, diversorium vitiorum: sed præsertim  
 Virgo Maria, scimus te habere tantam misericordiam, ex qua  
 plus haurit, plus de eâ in te inveniet: digneris nobis eam dare, pro  
 quam mundare possumus vas nostrum immundum, ut de vase im-  
 tumelia fiat vas gratie, & in fine cum omnibus Sanctis, gloriam  
 obtineamus sempiternam. Amen.

Spiritu concepit Virgo, quem carne recepit,  
 Vas fuit ergo Dei, spirituale mei.  
 Sic, ubi vult, spirat, quis non te, Maria,  
 requirat,  
 Ut supra nos flamen, spiret amoris, Amen.

